



Universitätsbibliothek Paderborn

Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1847

III. Der Bischof Johann von Brandenburg bestätigt die Dotirung eines Altares in der Domkirche, am 15. Aug. 1321.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54581)

funt hec in urbe Brandeburch, anno dominice incarnationis M^o. C^o. LXXX^o. VII^o. epacta nulla, indictione XV. concurrente II. V. Kal. Junii, regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Henrico.

Nach dem Original im Brandenburger Domarchiv.

II. Der Bischof Friedrich von Brandenburg verkauft eine Hufe in Ketzin an die dortige Kirche, am 9. April 1307.

In nomine domini Amen. Cum labilis memoria et obliviosa hominum simul cum revolutione preterit temporum et euanescit, nisi ea, que sunt in tempore, perhennentur fideli testimonio scripturarum et ydoneorum testium roboramento confirmentur, hinc est, quod nos Fridericus, dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus, recognoscimus et presentium tenore in publicam volumus tam presentium quam futurorum presens scriptum visuris, auditoris seu recitaturis notitiam devenire, quod nos de maturo consilio et provida deliberatione et consensu honorabilis viri, domini Johannis ecclesie nostre prepositi, Walteri prioris et unanimi voluntate et favore totius ecclesie nostre capituli vendimus et donavimus tradidimus et legaliter dotavimus ecclesie parrochiali in Kotsin unum mansum liberum situm in campis ibidem cum omni jurisdictione et libertate, prout alii mansi eidem ecclesie sunt annexi et legitime dotati, sicut dudum nos possedimus et nostra ecclesia et antecessores nostri cum omni proventu liberius possederunt, quem scilicet mansum dominus Otto, ejusdem loci plebanus in remedio anime sue et ad perpetuam memoriam suorum progenitorum propriis sumptibus pro quindecim marcis Stendaliensis argenti et ponderis nobis ad manus plenarie bene ponderatis et numeratis fideliter comparavit. Dictam vero pecuniam in usus ecclesie nostre pro comparatione civitatis et terre Beliz noveritis conversuram. Ut autem hec venditio etc. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. septimo V Idus Aprilis presentibus viris fide dignis, quorum nomina subsequuntur: dominus Johannes de Milaw nostre ecclesie canonico, Alberto Stormero nostre curie notario, domino Theoderico Gruwelhuth, Hinrico dicto de Bardeleven, Hinrico Wpach milite et aliis quam pluribus fide dignis.

Nach dem Original im Brandenburger Domarchiv.

III. Der Bischof Johann von Brandenburg bestätigt die Dotirung eines Altars in der Domkirche, am 15. Aug. 1321.

Nos Johannes, dei gratia Brandeburgensis ecclesie episcopus, universis Christi fidelibus presentis etatis et postere volumus attestacione presentium esse notum, quod dominus Henricus Wopak, miles et Gevehardus familiaris, salubriter intendentes, volentes opera justitie, virtutis preclarissime feliciter operari, unum altare in honore beati Martini episcopi ob spem salutis et gratie promerende in cathedrali ecclesia Brandenburg. appositione duorum mansorum nostra ex appro-

batione dotaverunt, quorum manforum unus jacet ad oppidum Cotzin, de quo proveniunt unus chorus filiginis et dimidius avene, alter ad villam Clebelock, de quo similiter unus chorus filiginis et dimidius avene cum duobus solidis in censu proveniunt, quem mansum secundum nos eidem militi dimisimus cum proprietate, precaria, servitio et omni jure, sicut ipsum dictus miles tenuit a nobis altari hujusmodi apponendum, ad quod tres misse pro defunctis et una votivalis singulis ebdomadis observentur. In festo quoque beati Martini officianti dictum altare pretacti redditus ministrantur proviso etiam, quod ante idem altare predictus Wopak miles elegit dum carnis debitum exolverit sepeliri, pro cuius anime salute pariter et Gevehardi supradicti in vigiliis, orationibus et missis fieri debet, quod pro animabus aliorum fraternitatem dicte ecclesie habentium fieri est consuetum. Profitemur insuper, quod sepedictus miles et filii ejus collationem seu jus patronatus ejusmodi altaris habebunt ad tempora sue vite et ipsum uni de conventualibus ecclesie Brandenburg. conferent, ipsius prepositi de consilio et assensu, quibus ab hujus vite medio sublatis collatio ad dictum prepositum devolvetur. In cuius notificationem et memoriam certiore etc. Actum et datum in die assumptionis Marie virginis, anno domini M. CCC°. XXI. presentibus dominis Johanne preposito, Johanne priore ecclesie Brand., Christiano et Hinrico nove et ceteris civitatis plebanis et aliis fide dignis.

Nach einem Brandenburger Copialbuche.

IV. Päpstliche Provison des Nicolaus Kummel mit einem in der Brandenburgischen Diöcese sich zunächst erledigenden geistlichen Lehne, vom 15. Oct. 1381.

Urbanus episcopus, servus servorum dei, dilecto filio Nicolao Kummel clerico Brandenburgensis Dioecesis salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, quod consuetum est clericis secularibus assignari, cuius fructus redditus et proventus, si cum cura, viginti, si vero sine cura fuerit, Quindecim Marcharum argenti secundum quamvis aliam dispositionem dilectorum filiorum, prepositi et Capituli ecclesie Brandenburgensis Premonstratensis ordinis communiter vel divisim pertinens, dummodo in ecclesia Cathedrali non existat, si quod in civitate vel Dioecesi Brandenburgensi vacat ad presens vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium, postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, donationem apostolicam reservamus, districtius inhibentes eisdem Preposito et Capitulo ne de huiusmodi beneficio interim etiam ante acceptionem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod tu vel procurator predictus illud volueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant ac decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia spectan-